

## MAXIMILIANI PRIMI IMPERA-

TORIS: CUSUS SUSCEPTO CONTRA

Venetos bello. Anno Christi 1509.



U M Venetos non à Gallo modo fractos, sed & plurimis difficultatibus aliis circumventos intelligeret Maximilianus I. Imp. minimè occasionem hanc negligendam ratus, cum maximâ Germanorum manu in Italiam contendit. Auspiciis ejusdem Christophorus Frangipanius Pisinium, Diviniumque in Istria arces: Ericus Brunsvicensis Fel-

trium, ac Bellunium capit. Inde ad famam de ipsius cum Germanis adventu, Goritia, Tergestæ, & alia non pauca ejus tractus loca in ejus fidem redeunt. Veneti post Gallorum ex Italia discessum aliquantulum recreati, nova, de recuperandis iis, quæ amiserant, inprimis verò de Patavio consilia inière. Erant ea in civitate complures Veneti nominis studiosi: quos inter Sacardus quidam Soncinus hujusmodi dolum commentus est. Andream Gritum, cui id negotij à Senatu datum erat, cum ea militum & agrestium manu, quam habebat, occultato itinere propius ad caudæ longæ portam subire, & occasionem rei expectare jubet, ipse armatis domi conficiis, ad præstitutum tempus currus aliquot fœno onustos in oppidum adduci jubet; quorum uni, sub ipsâ portâ, ex composito rota excidit. Accurrens cum suis Gritus, in forum usque progressus, Venetos eorumque patronum S. Marcum conclamat. Excitus ad clamorem Leonhardus Triffanus, qui cum præsidio tantum trecentorum Germanorum oppido præerat, dum præter Brunorium Saregium, cum quinquaginta equitibus, neminem suppetias venire vidit, in arcem se confert, moxque viribus ac paucitate diffusus fugâ dilabitur. Ita Veneti totâ urbe, sine sanguine, potiuntur. Cognitis his Maximilianus, cum omnibus suis copiis Veronâ profectus (quæ jam pridem claves legatis ejus tradiderat) ad tertium à Patavio lapidem tormenta expectat: mox Limono expugnato, Ateste castrum expugnat: Monsilicium oppidum vi capit, & destruit. Post advecta tormenta Patavium obsidet, muros plurimis locis, & propugnaculum quoddam ad portam Omnium Sanctorum propè totum delicit.